

DISSERTATIO MEDICA

De

THORACIS
EMPYEMATE,

Qvam

Indulg. Gratiissimæ Fac. Med.
in Academia Lipsiensi,

SUB PRÆSIDIO

DN. AUGUSTI QVIRINI RIVINI,

Phil. & Med. Doct.

P. P.

Daniel Rinner/ Vratisl: Silef.

Autor & Resp.

Ad diem XVI. Aprilis M DC LXXXVI.

boris locoq̄ consuetis.

LIPSIAE

Literis JOHANNIS GEORGII.

AUGUSTÆ VRATISL. REIPUBL.

PATRIBUS ac PROCERIBUS

Optimis Maximis

ILLUSTRI DOMINO PRÆSIDI,

& Generosis, maxime Strenuis, Nobilissimis,
Consultissimis, Amplissimis,

DNN. CONSULIBUS,

ac SENATORIBUS,

SYNDICIS & SECRETARIIS,

Dominis Mæcenatibus, Patronis ac Promotoribus
suis æternum devenerandis,

Dissertationem hanc qvalemcunq;
manu devotissimâ

offert

Humillimus cliens

Daniel Rinner.

J. D.

PROOEMIUM.

Inter alia Morborum, Mortisq; genera non infimum merentur locum, qvæ cum suffocatione conjuncta sunt; atqve id impri- mis horrendum est, qvando viribus aut saltem Sensibus integris Respiratio adeò impeditur, ut, qvi laqveo perit fur, similem torturam interdum vix experiatur. Tale quid nonnunquam in Anginâ, in Suffocatione hysterica, in Catarrho Suffocativo, & omnium maxime in Empyemate Tho- racis observamus. Neqve enim reliqui Morbi adeo diuturni sunt, at verò Empyema ad plures etiam menses sese extendit, & qvanquam omni die credantur extingvi, miserrimam tamen vitam inter continua Mortis imminentis pericula ægrè tra- ducunt, donec optatum finem vel Medicina vel Natura fecerit. Dignum proinde judicavimus Empyema examinari publicâ Disputatione; DEUS faxit, ut hæc nostra intentio optima vergat in sui Divini Nominis Gloriam Proxiique sa- lutem.

§. I.

Quoniam vi originis, qva Empyema ex græco
éν intus, & ωύον pus componitur, omnem sup-
purationem denotet in genere, atqve hac ratione
ab ipso Hippocrate Epidem: Sect. 330. & 43. adhibetur;
strictiore tamen sensu ad Collectionem Puris in cavitate
qvâdam notabili applicatum est, ita ut Empyici dicantur,
si pus intra Thoracem vel in visceribus infra Diaphrag-
ma contentis reperiatur, ut ex Foësii Oeconomia Hipp.
videre licet. Usitatissimum autem est per Empyema in-
telligi puris in cavum thoracis effusionem, præeunte im-
primis Galeno Comment. in Aphor. Hipp. lib. 6. aph. 27.
& lib. 7. aphor. 44. ut & lib. 2. Prognost. 60.

§. 2. Ut autem Empyematis, hoc sensu accepti, hi-
storia integra sit, consideremus ante omnia sedem, seu
Subjectum, ut vocant, Inhæsionis, qvod ipsa est thoracis
cavitas, per qvam totum illud spatiū in Corpore no-
stro intellectum volumus, qvod superiore parte à clavicu-
lis, inferiore à diaphragmate, anticâ à sterno, postica à
vertebris dorsi, lateribus à costis circumscribitur.

§. 3. Solet autem Empyema plerumq; seqvi Mor-
bos haud ritè judicatos, tanquam productum; Commu-
nissime à Pleuritide suppuratâ oritur, nonnunquam à
Vomicâ pulmonum ruptâ, aut in Phthisi effusâ Materiâ
purulentâ. Eadem est ratio Vulnerum & Contusionum
vehementiorum Thoracis, à qvibus natum Empyema
legimus hinc inde in Medicorum Observationibus.

§. 4. Itaq; ut & Morbificarum Causarum & ipsius
Morbi Natura penitus cognoscatur, non modò præsen-
tia sed & antecedentia examinanda sunt probè; Nimirum
conqueruntur de pondere Materiæ supra diaphragma
fluctuantis, à qvâ Respiratio notabiliter impediatur, po-
tissimum si corpore stent erecto, dolor in dorso depre-
hen-

henditur ubi Diaphragma lumbis annexum est; aut si decumbant, suffocatio imminet, & ubi ex uno latere in alterum incumbant, fluxum Materiae illius purulentae eodem modo deprehendunt, qvalem etiam solent, qvi hydrope thoracis laborant

§. 5. Utigitur ab Hydrope Thoracis dijudicetur praeter hæc Signa communia deveniendum est ad specialia. Sicut enim Hydrops Thoracis occurrit in subjectis hydropicis, & vix pectus observetur sero repletum nisi & venter alcite pedesq; tumoribus œdematosis tententur; ita in contrarium Empyema in subjectis Phthisicis, vel Tabidis potissimum notatur. Certiores autem sumus de Empyemate, qvando præcessit Pleuritis, vel Vomica, aut exulceratio Pulmonum, vel Vulnus Thoracis, aut contusio; Cumq; per Tussim qvæ rejiciuntur, purulenta sint, hoc ipso Empyema dignoscitur ab Hydrope. Imo quantumvis etiam in suppurata Pleuritide, & Phthisi, aut ruptâ Vomica pus rejiciatur, locum tamen affectum distingvere satis norunt ægroti, qvando non è pulmonibus, aut regione supernâ, sed ex profundo thoracis, majore cum conatu Materiam illam educere necessum habent.

§. 6. Præterea observavit Lazarus Riverius Prax. lib. 7. cap. 4. p. m. 306. in latere, affecto ut plurimum tumorem qvendam, etiam qvâ exteriora, apparere, qvod tum imprimis locum habet, qvando Pleuritidem Empyema seqvitur; notavimusq; hujus rei exemplum insigne in Virgine qvâdam, utpote qvæ circa scrobiculum cordis, costasq; spuriæ tumida erat, ita, ut & adstantes Cardiacam metuerent. Conquerebatur autem eodem in loco se interius observare dolores satis acerbos, non aliter, ac si sauciata foret, & adhuc tum cultris qvasi pungetur ac incideretur. In lumbis interim sensus erat obtusus, (wie wenn einem der Fuß einschläfft) per aliquot dies,

donec tandem annuente Divinâ Gratiâ reconvalesceret
præter omnem spem & exspectationem.

§. 7. Qvod si enim illus aliis periculosus est mor-
bus, Empyema certè erit, imprimis è de causa, qvod
juxta arbitrium non liceat ad partem affectam penetrare,
materiamq; illam præter naturam copiosè collectam e-
vacuare. Itaq; non rarum est ægrum vel plane suffocari,
ubi nimia quantitas puris pulmonum expansionem ad
inspirandum necessariam impedit, vel sphacelum super-
venire lethalem, qvando pectoris exulceratio à sordibus
purulentis repurgari nequit. Historias hæc de re miser-
imas, hinc inde deprehendes annotatas, vide inter alios
Theophilum Bonetum in Sepulchr. lib. 2. Sect. 6. impre-
mis Obs. 5. & 16.

§. 8. Duro proinde nodo ut durum qvoque cu-
neum adhiberent Veteres, de nullâ re magis fuere solli-
citi, qvâm qvo pacto aperiri thorax, pusq; collectum edu-
ci posset. Tentatum id est triplici ratione, videlicet per
Ustionem, per Incisionem, & deniq; per Cauterium, qvod
vocant potentiale.

§. 9. Ustione jamjam ipse Iesus est Hippocrates,
uti apparet ex Sect. 7. aphor. 47. ad omnes suppuratos
sive in thorace, sive in regione hypogastricâ pus collegi-
sent. Eratq; duplex profunda ac penetrans usq; ad ipsum
pus, ut hac ratione via ei aperiretur; aut erat saltem su-
perficialis & minus profunda, qvæ cutem vix transiret,
crustamq; gigneret, qvâ remotâ fonticuli remanerent ali-
qvandi conservandi ad sufficientem usq; Materiæ e-
vacuationem.

§. 10. Qvandoq; videm vero hujusmodi fontanella
unica non sufficeret, plures simul diversis in locis exci-
tare placitum est, sicut enim Aetius. Tetr. 2. Serm. 4. cap.
57. jubet in anhelosis primum par inurere juxta com-
missu.

missuras claviculorum, aliud par minus juxta carotides
colli arterias sub mento, porrò aliud par circa mammili-
as inter tertiam & quartam costam, rursumq; aliud par
inter quintam & sextam, & porro inter octavam & no-
nam, item unicum fontanellam circa cartilaginem en-
siformem, itemq; unam circa Medium dorsi, tandemq; ve-
binas paulo inferius circa vertebrae. Subjungit autem,
omnes infra Collum inustas mediocriter latae esse debe-
re, neque valde superficiales, neque nimis profundas;
Ulcera autem diu fluida & aperta servanda esse. Ad
eundem modum cauteria pectori in orbem esse inurenda
Empyicis svadet seq. cap. 65.

§. II. Horrendum certe remedii genus, & parum
abest quin Aetium credamus potius ex carnifice quam
aurifice factum esse Medicum. Evidem non parum
laudis inde commeritus est, quod cum parentibus natus
fuerit egenis, pauperibus quoque beneficerit, gratisq;
curaverit innumeros. Attamen, si ullibi, hic locum ha-
bet quod vulgo dicitur: Nemo gratis bonus! videtur,
enim ejusmodi consilium uti gratuitum ita frustraneum,
ac præterea adeo crudele, ut vix ullum est miserrimis
credas pauperculis, qui ære conductus stigmata hæc si-
bi inuri patiatur.

§. 12. Qui ferrum candens metuunt atque ustio-
nem, iis Sectio, sive Thoracis apertio per Incisionem
facta, svadetur, eadem Hippocratis Autoritate. Locum
Incisionis supra Diaphragma querunt, plerumque inter
costam septimam & octavam; Quanquam alii superio-
rem, alii adhuc inferiorem costam eligant. Confer Jo-
hann. Scultetus Armament. Chirurg. Tab. XXXVII. &
Paul. Barbette Chirurg. cap. 15. p. m. 60. ubi Modum Se-
ctionis cum omnibus hanc in rem requisitis fusius tra-
dita reperies.

§. 13. Inventionem hujus remedii Fortunæ tribuunt; cum enim Empyicus quidam ex desperatione castra sequeretur, ac in conflictu ab Hoste thorax ipsi perfoderetur, factum est, ut casu inventum auxilium, vulnusque inflictum purulentæ Materiæ, quam in Tho- race collegerat, viam aperiret, & sic à morbo liberaretur miser. Vide Rondeletum in Method. curandi Morbos lib, 2. cap. 15. qui ex Galeno historiam hanc casu curati Empyici affert. Etsi verò dubium sit inventionem sectionis ab ejusmodi casu fortuito fuisse ortam, facile tamen largimur Apertione Thoracis hoc ipse fuisse approbatam.

§. 14. Qvicquid verò sit, certè thoracis Paracenthesis adeò non vacat periculo, ut rectè monet Horn. in Microtechnē part. 1. Sect. 2. §. 18. Præterquam enim quod facile pulmo simul lœdatur, præsertim si quis in superiori thoracis parte sectionem instituat, accedit vehementia Morbi, quando vel pulmones insigniter exulcerati aut pleuræ latera sphacelo corrupta sunt; Quantumvis enim his in casibus pus educatur è thorace, nihilominus intermoriuntur ægri, ut adeò vana sit sectionis tortura. Monent proinde omnes, ne Paracenthesis tardius instituatur, ubi vires jam postratæ, & omnia conclamata sunt. His addimus in recenti Empyemate eam minus esse necessariam, siquidem aliquot exempla nobis cognita sunt curatorum sine apertione thoracis Empyicorum, qui tamen ipsi pro deploratis jamjam habebantur.

§. 15. Idem judicandum de cauterio potentiali, quod imprimis Bontius Med. Jnd. cap. 13. usitatissimum Indis commendat: refert enim satis latam escharam primum quidem excitari caustico, tum verò vulnus quoque satis amplum eodem in loco infligi, ita ut illius cauterij non alia sit utilitas; quam ut sublatis labiis nimis citò vul-

vulnus non coalefcat, Verum nec hoc metuendum est
in sectione, qvandoqvidem cannula argentea vulneri
immissa, citiorem consolidationem similiter impedit.

§. 16. Cuicunq; igitur libuerit urere vel secare, per
nos licebit; Religio enim est si mitiora suppeditant, præsi-
diis uti periculosisioribus. Ad hæc pauci sunt inter Nostra-
tes qvi non abhorreant ejusmodi Medendi Methodum;
Itaque vel plane detestantur operationem manualem, ac
Mortem oppetunt prius, qvam anceps admittant Consilium,
vel si instituta fuerit sectio, eventus autem minus
prosperè succedat, tunc certò certius contumeliis vulgi
& opprobrio sese exponeret Medicus.

§. 17. Sepositâ igitur Chirurgiâ, ad Fontem nos
convertimus Pharmaceuticum, ubi imprimis videndum,
num qvæ præter naturam collecta est Materia purulenta
evacuari queat ope Medicamentorum. Triplex proinde
Ratio curandi Empyicos à Nobis hîc loci commendatur,
qvemadmodum eam Natura indicare, & Experientia,
optima Artis nostræ Magistra, confirmare videtur; ni-
mirum per Expectorantia, per Diuretica, ac tandem per
purgantia, sed mitiora.

§. 18. Sudorifera certè qvà talia, cum serum saltem
corporis imminuant, inter Evacuantia hoc in affectu pro-
ficua recenseri non possunt. Et qvanqvam occasionem
nascendi Empyematis in pleuritide præripiant; atq; ipsam
puri exscreationem, siad suppurationem devenerit,
qvodammodo juvent, in ipso tamen Empyemate locum
amplius non inveniunt, qvandoqvidem post sudorem
exhausto sero, qvod remanet magis magisq; in-
spissatur, interim tamen viressimul cumsudorediffluunt.

§. 19. Missis ergo Sudoriferis, videamus Expe-
ctorantia, utpote qvæ proprius attingere partem affectam vi-
dentur. Qvanqvam verò & Empyema absq; omni Tussi
B obser-

obſervaverimus, pluries tamen hâc ipsâ insigniter commoventur, qvatenus Natura ipsa materiam præternaturaliter in thorace collectam ejicere tentat. Illo in casu fruſtra tentabis cuncta, ubi vero Materia exitum qværit per tuſſim, tunc ſane Bechica omnium ſunt optima uti ſunt Scabiosā, Tuſſilago, Hyſſopus, Veronica, Marrubiū album, Pulmonaria, Betonica, Bugula, Capilli Veneris, Violaria, Brassica rubra &c.

§. 20. Facultatem viresq; horum Remediorum egregias vidimus in Viro Qvinqvagenario, Paſtore de Ecclesia bene merito in vicinia. Etenim cum is ipſe per plures ſeptimanias Tuſſi feroci, ac imprimis à dolore dorsi in finiſtro latere juxta fines coſtarum ſpuriarum, excruciatuſ eſſet, ac interim varia Tuſſim fedantia, è Pre præſer- tim parata ipſi fruſtra exhibita eſſent, jamq; diu lepto affigeretur, præ raucedine & ſpirandi difficultate vix verbum proferens, tandem præſcriptis Expectorantibus rejecit copiosius inter tuſſiendum materiam viſcidam & purulentam, donec tandem maſſa qvædam caſeo recenti non diſſimiliſ ad magnitudinem ferè ovi gallinacei ſubſecuta, finem Tuſſi & Raucedini fecerit inopinatam.

§. 21. Qvod ſi de via dubitas, per qvam è cavo Pectoris Empyicorum pus excernatur, fatendum eſt, eam æq; expeditam non eſſe, aut manifestam; nihilominus qvod revera Materia ejusmodi purulenta per Pulmones cum tuſſi ascendaſ, certum eſt, rarius qvidem in Empyemate, frequentiſſime autem in Pleuritide ſuppuratâ per Experientiam comprobatum. Itaq; inquirendum porro, non tam in veritatem, qvam in modum, juxta qvem excerna- tur pus empyporum.

§. 22. Equidem in Pleuritide ſuppuratâ ante qvam rumpatur Apoſtema, ac ſeſe in Thoracem exoneret, non improbabile eſt redire per venæ azygos ramificationes mate

materiam illam in Pulmones, atque tum superveniente
Tussi vehementiore excuti per asperæ Arteriæ canales;
quemadmodum Sangvis etiam congrumatus, si quis
vehementius circa dorsum fuste percutiatur, pœnâ Mili-
tibus gregariis solenni) eadem viâ redire ac expui solet.

§. 23. Vbi vero in Cavitate ipsa contineatur purule-
tum, major est difficultas, quoniam Venæ non æq; hiant
in Thoracis cavum quam in poros Musculorum interco-
stalium. Ad hæc appulsus Sangvinis arteriosi hic quoq;
deficit, qui tamen dubioprocul collectum pus successivè
deprædatur ac resolvit, postquam sedata quodammodo
inflammatione, spasioque fibrarum una cum dolore re-
mittente liberior iterum circuitus conceditur sangvini.

§. 24. Parùm proinde abest, quin statuamus pulmo-
nes in superficie perforatos instar spongiæ absorbere sa-
niem illam, eandemq; postmodum ad Arteriam aspe-
ram allegare ad expuendum, accedente in primis inter
tussiendum valido Diaphragmatis motu, à quo versus
superiora cum impetu propelluntur quæcunq; sibi mole-
sta sentit Natura. Atq; hoc ipsum quivis facile con-
cedit fieri posse, quando ex vitio pulmonum, inflamma-
tione puta, vel vomicâ ruptâ natum Empyema fuerit, ut
pote quo in casu superficies pulmonum atq; substantia
quodammodo læsa ac lacerata viam monstrat redeunti
puri, eandem scilicet per quam antehac erumpebat.

§. 25. Via autem hæc cum præternaturalis sit,
quæritur porrò quid fiat quando Pulmonibus integris ex
Pleurâ suppurata pus in thorace colligatur; Itaq; & se-
cundum Naturam Pulmonis Peripheriam variis poris
pertusam asserimus, potissimum his argumentis com-
moti. Primum nobis subministrat Cl. Malpighius quan-
do in Epist. ad Borelliū de Pulm. i. refert, se observasse
injecta in Arteriam pulmonalem, ope siphonis, aquam

vel Mercurium vivum hinc inde per membranam investientem exsudasse, accedente potissimum levi compressione. Et quanquam laudatus Autor viam hanc pro Naturali non habet, nobis tamen revera Naturalis visa est, cum Experimentum hoc iterum iterumque tentaremus.

§. 26. Nimis minus violenta est, quam sepius cum tedium experti sumus inflationem Pulmonem, Etenim animus erat in pulmone inflato ac desiccato accuratius investigare ejusdem cellulas membranaceas, nunquam tamen negotium successit in subiecto recenti, siue pulmo integer, sive lobus tantum reciperetur; Quanquam enim elegantissime expansus Pulmo, ac nusquam ulla ejus laesio, quam omni studio semper evitabamus, facta fuerit, nihilominus collabi pedetentim eundem vidimus, nil juvante accuratissima etiam deligatione ac obstructione vasorum.

§. 27. Hanc verò esse naturalem viam sic porro confirmati sumus; Nempe quotiescumq; Canis inter Inspirandum laqueo suffocatus aperiretur, toties pulmones vidimus omnem penè ambitum Thoracis explere, atque in hac expansione tam diu permanere, donec vel Diaphragma aut Thorax incideretur. Ecce vero Pulmo illæsus, instar vesicæ Urinariæ non permanet expansus, sed subsidet; Et quâ via putas egredi aerem quando funis asperæ arteriæ usum prohibet? Quid, quod & aer, si alterutrum saltem Pectoris latus aperiatur, in illæso latere deprehenditur manifeste, quatenus ab eo Mediastinū notabiliter intumescit versus apertum latus, præsertim si Thorax quodammodo comoveatur, indicio, Aerem non modo in pulmonibus, sed & ipso Thoracis Cavo hospitari.

§. 28. Addo his rationem Helmontii, quam in Tract. Catarrh. Delir. 45. adducit, nempe, si cui perfodia-

tur Thorax, ita ut vnlnus penetret in ejus Cavitatem, candelæ admotæ flamma semper ab egressiente inter exspirandum flatu extinguitur, qvanqvam inter Inspirandum occludatur vulnus, aerisq; ingressus omnis prohibetur. Atqve Pulmones non raro salvi sunt, qvando læsio Thoracis circa Costas inferiores, aut inter Exspirandum facta fuerit; Unde ergo flatus ille erumpens è pectore, nisi per Pulmones inter Inspirandum transeat.

§. 29. Plures adhuc Rationes, qvas allegato loco adducit Helmont, lubentes præterimus; Etenim qvæ à quantitate aeris unica vice inspirati desumitur, item à Ructibus stomachi, eundem odorem, qvem per nares attraxit, referentibus, & si qvæ sunt similia, vim probandi non habent. Nobis sufficit hac vice demonstrasse poros in Pulmonum Substantia revera esse secundum Naturam pervios, deqvo haetenus inter omnes disputatum est satis acriter.

§. 30. Sed nunc porrò demonstrandum, etiam hanc esse idoneam satis ad excipiendum pus Empyicorum; Scilicet non æq; liqvida sunt omnia, sed & interdum sic satis tenacia & crassa, qvibus excipiendis impares videntur, Pulmonum pori. Qapropter credibile est id, qvod sub specie crassioris puris inter tussiendum rejiciatur, collectum antea fuisse, ac inspissatum intra Pulmonem, arteriæq; asperæ Ramificationes, exhalantibus successive particulis serofioribus, qvibus dilutum erat: Qvō pacto in Tussi & Asthmate humeroſo copiosis, expulitur Mucus, qui hoc magis evadit tenax spissusq; qvō diutius retineatur, sicuti hoc ipsum Præcipue ex matutinâ Tussi Phthisicis potissimum familiari aperte liqvet.

§. 31. Libertatem interim Naturæ non denegamus, inveniendi alias aliasq; vias, si libitum fuerit. Adeo enim expeditæ non sunt, qvas aliis quoq; in casibus qværit,

qvando cum Urina, vel cum alvinis fecibus, Empyicorum pus educit; Ut taceamus eas, qvibus non raro utitur in educendo Sangvine congrumato post casum ab alto, item si qvæ inepta deglutita fuerint, e. g. Aciculæ, Culter, Clavus ferreus, & similia. Nimirum qvæ in prima Fœtūs formatione omnia disponit & ordinat, viamq; Sangvini, bili, sero, cæterisq; humoribus tam laudabilibus quam excrementitiis, parat; Quidni Eadem, si necessitas urgeat, viam inveniat excernendo puri? Nec refert utrum pori vel ductus jamjam existentes ampliandi sint, num vero aliij de novo formandi.

§. 32. Per Urinarias qvidem vias educti puris, sanatiq; hoc modo Empyematis Exempla hinc inde occurruunt varia. Vide Scult. Arm. Chirurg. Obs. 46. & 51. Diemerbröck Anat. lib. 1. cap. 17. & Andr. Laurent. qui in Hist. Anatom. lib. 9. Qv. 12. hanc de materiæ purulentæ cum Urinâ excretione qvæstionem ex professio tractat; atq; ut demonstret è corde per arterias illuviem illam deduci ad renes elegantissimam affert historiam viri cuiusdam à se ipso dissesti. Hic enim cùm per integrum Mensem cum Urinæ ardore lotium redderet rubrum fœtidumq; mortuus aperto cadavere exhibuit thoracis cavitatem simul ac sinistrum Cordis ventriculum simili humore plenum; Unde non male argumentatur è thora ce ad Cor, atq; hinc per arterias ad Renes abiisse humor rem virulentum.

§. 33. Hunc Naturæ conatum, si qvando in Empyemate obseruemus, omnibus modis juvandus est. E Diureticis igitur feligenda potissimum, qvæ facultate balsamicâ læsionem thoracis vel pulmonum insimul current, qualia sunt Herba Cherefol, Petrosel, Heder. terr, Urticæ, Flores Violar. & hypericon. Radix Rubiæ tint. cum liquiritia, baccæ juniperi, nec non terebinthina, item La pid.

pid. Cancror. eorumq; succus ē vivis per contusionem expressus.

§. 34. Nihil interest, sive Cancri fluviat. solitariē, sive affuso uno atq; altero cochleari vini, vel acetī, vel decocti diuretici, contundantur in mortario vitreo, vel lapi- deo; qvi enim postmodum exprimitur succus ad Unciā unam alteramve propinatus, variis in Empyicis egre- gio cum successu præscriptus est; Imprimis vires ejus vix satis mirari potuimus in Puella quadam I. M. B. qvæ Anno 1679. post pleuritidem neglectam tanta laborabat difficultate respirandi, ut non nisi erecto corpore aliquan- tis per respirare potuerit, materia interim in thorace flu- etuante, ac imprimis diaphragma circa dorsum insigni dolore comprimente. Restituta autē est Deo benedicente per unicum Cancrorum succum, omni die sumitum Ex- cell. Dn. Præsidis consilio; unde paulò post, qvicquid purulenti collegerat Thorax, cum Urinâ excretum est successive, donec Respiratio iterum liberior redderetur, & qvæ pro deplorata habebatur, integrum sanitatem, qvâ etiamnum gaudet, adipisceretur.

§. 35. Simile quid Anno jam currente tentatum est in Virgine A. M. G. cuius supra §. 6. mentio facta est; Cumq; Eadem nunquam alijs tussim passa esset, ac impri- mis tum temporis se à tussi qyoq; impediri aut suffocari ob materiam pectus occupantem conquereretur, alvusq; insimul per aliquot dies pertinacissime constiparetur, decoctum præscripsit Nobiliss. Dn. Præses partim Diureticum, partim Laxativum, unā cum Cancrorum succo, bis terve in die assumendum, Interea anxietas Præcor- diorum per intervalla recurrebat insignis, ac nonnun- quam lipothymia, imo & absq; hac frigus extremorum, aut horror dersum imprimis pererrans; Et ecce post hujus usum primum furfuracei & purulenti quid

in Urinâ deprehendebatur alterâ vêro diè pus paucum
cum clysmate eductum est per alvum, tertia longe ma-
jor copia eâdem viâ prodiit, donec tandem quartâ car-
nosæ qvædam ac tendinosæ fibræ, qvales conspiciuntur
in Diaphragmate, ad longitudinem digiti, unâ cum sa-
nie spissâ (den Eysterstock) subseqveretur. His visis, ab-
stinuit ab iis, qvæ Evacuandi per Alvum gratia præ-
scripta erant, scilicet Radice Polydii, Foliis sennæ, ac
floribus Genistæ; Continuatus autem adhuc est usus
vulnerariorum per aliquot dies, Saniculæ, Scabiosæ, Car-
dui benedicti, florum lil. alb., similiumqve, donec ad pri-
stinam Sanitatem rediret favente Divino Numine.

§. 36. Neq; verò hæc res sine exemplo est; siqvi-
dem jam olim Galenus atqve Avicenna pluresq; post eos
observarunt Thoracis suppurationem per Alvum inter-
dum expurgari. Vide inter alios Epistolam Botteri ad
Gregor. Horst. Se&t. XI. p. m. 460. Viām si à nobis de-
sideras, respondemus, similem esse ei, per qvam in Ascite
è cavo abdominis serum educitur post assumptum.
Purgans, hoc est, Natura facilius viam invenit qvam
Medicus. Quid si enim per Umbilicum erumpat Em-
pyicorum pus! qvale qvid annotavit Nicol. Tulpus in
Obs. Med. lib. 2. cap. 6. Nimirum Medicus agit qvan-
tum potest, Natura vero ipsa Morborum Medicatrix est,
DEO volente ac benedicente, cui Soli sit
in æternum

Laus Honor & Gloria.

